

mata à Benedic. XIV. constitut. incip. Inter illustria, §. 1. Ordo item, res, & personæ sunt immediate S. Sedi subdite. Idem *ibid.* §. 2. Ideoque sunt ab Episcoporum, Archiepiscoporum, & aliorum quorumcumque jurisdictione exemptæ. Idem *ib.* §. 3. Novæ domus, & Præceptorie erigi possunt, irrequisitis locorum Ordinariis. Idem *ibid.* §. 4. Præsentati ad parochiales, aliasque Ordinis ecclesias, sine ulla exactione sunt ab Ordinariis instituenti. Idem *ibidem* §. 5. Præter Capellani extra tempora, & à quocumque Catholico Antistite Ordines suscipere possunt. Idem *ibidem* §. 7. Idem non obstante contraria consuetudine in ecclesiis, & beneficiis Ordinis adnexis deputantur, ac renovantur à Magno Magistro. Idem *ibidem* §. 17.

99 Bona ipsius Religionis à quibuscumque decimis, aliisque oneribus ecclesiasticis, ac etiam laicalibus sunt exempta; Patrimonialia vero militum ab oneribus communitatis. Idem *ib.* §. 7. & 8. Jura, proventus, responsiones omnes indiscriminatim communi ratio præstari jubentur, abrogatis contrariis quibuscumque privilegiis. Idem *ibidem* §. 12. Alienatio bonorum religionis, inconsulto Magno Magistro facta, est nulla. Idem *ibid.* §. 13.

100 Sunt utique Equites Hierosolymitani vere Religiosi, ut ait *Autor.* num. 3. & sic ratione voti paupertatis, quidquid undequaue acquirunt, non sibi, sed Religioni acquirunt.

101 At cum iis non eodemmet rigore procedendum est, qui in subiecta materia servatur in alios Religiosos.

102 Animadversione enim dignum est, quod ipsi vitam ut plurimum ducunt extra claustra in privatis domibus, debentque sibi comparare omnia, quæ necessaria sint ad propriam sustentationem juxta propriæ nobilitatis gradum, atque ipsius inclyti Hierosolymitani Ordinis dignitatem.

103 Atque hinc est, quod (ut ait Rota in Romana nullitatis contractus 25. Februar. 1753. §. 3. cor. clar. memorie Matthæo) ex necessaria quadam eorum Institutii tolerantia, sive tacita superiorum permissione per inveteratam consuetudinem inducitur, atque ejusdem Religionis status comprobata pro hujusmodi effectu sub imagine eorum reddituum ex prædictis bonis provenientium, liberisque perfructibus propriorum questuum & pecuniarum usu, adeo ut Sacra ipsa Religione, penes quam vere residet dominium, ac proprietas, sciente & patiente, complures valeant inire contractus, aliisque omnia gerere, quo exigit hujusmodi vivendi ratio eorum conditioni conveniens.

105 Qua de ratione vero optimo sacrum tribunal Rotæ in *max allegata decisione* validum adjudicavit contractum census vitalitatis à paupere Equite Hierosolymitano, ut sibi in futurum prospiceret. Ceterum si agatur de Equite Hierosolymitano, cui congrua sustentatio haud desit, contractus à nullitatis vitio excusari nequid. *Idem*

HISTORIA, HISTORICUS.

SUMMARIUM.

- 1 **H**istoria unde dicta, & quid: quot species; & quales: ejusdem primi inventores: quanta ejus utilitas, ad num. 13.
- 2 **Q**ue in historia, & historico requirantur: fides que illi præstanta: in causis beatificationis, & canonizationis quomodo probet: referuntur casus circa præcedentes causas, ad num. 23.
- 3 **H**istorici quam in probatione præminentiam consequantur: que attendenda in factis historicis credenda: qua forma & modo vera, & genuina opera à falsis, & supposititiis discernantur, ad num. 35.
- 4 **A**ditiones ex aliena manu inseruntur.
- 5 **H**istoria dicta est à verbo græco, quod latine idem importat ac *spektare*, seu *videre*, ita ut Historia sit visa res, atque spectata, & exinde, uti est gesta, narrata;

Budæus in *commentariis græcis*. Unde historia proprie est earum rerum, quibus generis interfuerit is, qui eas narrat, ut advertit Calvinius in suo magno lexico 1. verb. Historia.

Historia igitur, quæ græca est dictio significans repositionem, sive seriem rerum, est rerum gestarum cum laude, aut vituperatione narratio, quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, rerumque, ac magnorum virorum cum temporum, ac locorum ordine, & descriptione, tamquam viva quedam pictura ante oculos exponit. Sic apud Beyerlinck in *magno theatro vite humane* tom. 4. verb. Historia.

Quatuor sunt species historia; vel enim de locis est, ut *geographia*; vel de temporibus, ut *genealogia*; vel de generatione, ut *genealogia*; vel de gestis, ut *annales*; Historiæque ceteræ. *Geographia* est ars dimetiendi, ac describendi orbem terrarum, ejusque superficiem habitam, & inhabitabilem. Illius partes sunt *hydrographia*, quæ marium, & insularum descriptionem exhibet; *chrographia*, quæ in particularium tantummodo regionum, regnorum scilicet, & provinciarum descriptione versatur; & *topographia*, quæ singularium dumtaxat locorum, nempe unius civitatis, villæ, vel pagi descriptione contenta est. *Chronologia* est ars, quæ certis notis, & indicibus præteritarum rerum memoriam suis temporibus assignat; Unde, ut advertit Scaliger, in *prolegomeno. in Eusebium*, *Chronologia anima historia est, sine qua historia non spirat, que quanto multis scriptis, tanto chronologia illi præstat, ut corpori anima*. Hinc patet discrimen maximum historiæ à chronologia, quæ doquidem, ut recte notat doctissimus Petavius *Ration. temporum part. 2. cap. 2. Illa simplici rerum gestarum ordine contenta est, nec annorum singularum exactam rationem instituit; Hæc annos ipsos quoad licet, annorumque partes quibusdam notis, ac vestigiis assequitur. Genealogia, id est sermo de origine generationis, est continuata gradatim facta ab origine familiarum, ac personarum descriptio, monumentis, ac literis tradita. *Annales* libri sunt, in quibus antiqua gesta, atque acta per singulos annos conscripta referuntur. *Annales* autem ab historia distinguuntur, quod illi proprie res suorum temporum gestas, quas auctor vel vidit, vel potuit videre, pertractat; neque tantum quid gestum sit, sed etiam qua ratione, quove consilio, indicet: *Annales* vero Scriptores res antiquas ut plurimum, quas sua non novit ætas, easdemque per annos singulos monumentis commendat; Ita Baronius tom. 1. *Annal. in præfatione p. 2. lib. B. ex Gell. lib. 5. cap. 18. & Isidor. Orig. lib. 1. in fin.**

Historia alia est *sacra*, quæ gesta, atque acta sacra describit; alia *profana*, quæ gesta, atque acta profana commemorat; alia *civilitas*, quæ in regnis, provinciis, ac civitatibus gesta, atque acta reportat; alia *ecclesiastica*, quæ in ecclesia gesta atque acta, tum sacra, tum profana, tum ecclesiastica, tum civilia complectitur.

Quinam historiæ primi fuerint inventores, non satis constat; Plinius enim *lib. 7. dicit*, quod Cadmus Milesius primus omnium historiam condidit; Joseph autem in 1. *antiquitat. libro* eum apud Græcos dumtaxat primum historiam scripsisse tradit, multo junctorem Moyse; Nam verisimilius est antiquissimos Hebræorum, qui sacros libros scripserant, historiam primo condidisse; Vel Ægyptiorum Sacerdotes, sicut ipse Josephus in primo contra Apionem sentire videtur; Euseb. *lib. 10. & 11. præpar. evangelicæ*. Xenophonem Grylli filium, Socratis auditorem, primum ex Philosophis historiam scripsisse de rebus Græcorum, tradit Laertius l. 2. Ante Saturni in Italiam adventum nullum historiam cultorem fuisse, sed solum postquam iam rudem populum in unum collegit, Historiam communiter invaluisse, refert Macrobius *lib. 1. Saturnaliorum cap. 8. apud Beyerlinck loco citato verb. Historia*; ubi præcipuos in omni natione Historic. ac in omni materia Scriptores abunde recenset.

Historia, ex quo adinventâ, maximam semper suis cultoribus utilitatem subministravit; ipsius enim lætio juniores antiquioribus æquavit, natu majores rerum experientia diviti, privatos viros Imperio dignos effecit &

& quotquot in Orbe quovis in genere fuere heroes, ipsa constituit, ac efformavit; & ut summatim dicam, omnium rerum series, quibus hominum utilitas, felicitas, ac gloria paratur, historice tribui debet; Unde ipsamet apud Beyerlinck *loc. cit.* hæc poetica sibi carmina canit: *Ille ego, que gestis prætorum custodia rebus; Digero quod cavetas, quodque sequaris iisr. Prætorum ne veteris vanescat gloria seclis, Vivida defensant qua monumenta domus; Et sua virtuti per me sunt præmia rursum; Impie fumosis desero fama notis. Eloquor, & summi quantum jactatur, & imi, Eloquor, & cæca fasque, nefasque Dea. Quod majus theatrum, circusque capaxior, aut qua Dædior humanas scena referre vices? Me sine quis prudens? Unde experientia major? Quis me adit tandem, non magis doctus eat? Omnis enim nostrum pendet prudentia sensu, Riteque nil, nostra qui caret arte, sapit.*

14 Quid in historia, quid in historico principaliter requiratur, satis erudite, & docte ostendit Halicarnassæus apud Beyerlinck *loc. cit.* his verbis: historiam narrationem perpetuo vitii filo ductam colligatam oportet esse, præsertim ubi res exponantur, & multæ, & hujusmodi, quæ cognosci, ac percipi non facile queant; Sic Halicarnassæus *cap. 10. de Judois historia Thucydides*. Et mox; Historiæ disponendæ laus non minima in eo sita est, si, & principium, quo non aliud sit prius, capiatur, & eo fine, quæ nihil videatur deesse, comprehensa narratio videatur. Idem *lib. cap. 1. Deinde ad officia Scriptoris historie descendens, ait: Primum officium esse potest, & id vel maxime omnibus necessarium, qui res gestas literarum monumentis tradere cupiunt, ut ab oblivionis injuriis vindicentur, materiam seligere speciosam, & jucundam, ac eam, quæ animos legendum voluptate afficiat, atque alliciat; Quod Herodotus mea quidem sententia melius vidisse, & expressisse videtur, quam Thucydides; Ille enim Græcorum, & Barbarorum historiam integram scripsit, & apte dispositam; Thucydides autem unum tantummodo bellum, nec fortunatum; unde potius silentio prætereundum, quam posterorum memoriam relinquendum, confuse descripsit. Est enim historiæ etiam officium caute considerare, quæ res illi in historiâ referendæ sint, & omnia ritè in partes disponere; ac unumquodque eorum, quæ referuntur, suo loco apte disponere. Et tandem talis debet esse historicus, ut omni modo careat, nullis muneribus, aut commendatiis corruptatur; nihil odio, nihil amicitia tribuens, æqualis Judex; ac benevolus omnibus, ita ut alterutri plus æquo nihil tribuat, sinceræ veritatis amator liber sit, ac nulli Regi subiectus; peregrinus in libris, patria cavens, suis legibus vivens; non quid huius, illius sit placitum, aut displiciturum cogitans; sed id, quod revera a quibus sit, fideliter ac veridice imponens; Cum præcipue Historicorum partes sint, falsum non dicere, verum non abscondere, ac suspitionem, vel similitudinem evitare: Historia enim à Cicerone *lib. 2. de orat.* vocatur testis temporum, vitæ memoria, magistra lucis, nuntia veritatis. Et jam quid congruat historiæ auctori, breviter fuerat traditum *lib. 3. Machab. cap. 2. Vide ibi*.*

De conficienda historia, & quenam adminicula in eo, qui historiæ conficiendæ provinciam vult sibi assumere, requiruntur, lege eruditissimam Præfationem Eminentissimi Cardinalis Orsi in historiâ ecclesiasticâ.

15 Historicis, præsertim antiquis, & classicis, omnis præstantia est fides. *Comminati* & colligitur tum ex Sacra Scriptura, tum ex utroque Jure, tam civili, quam canonico; & Sacra Scriptura pluribus in locis habetur digna historiarum commemoratio, ad denotandum, quod sit ipsis fides adhibenda. Exod. *cap. 17. num. 14. ibi. Dixit autem Dominus ad Moysen, Scribe hoc ad nomenentum, & trade aurihus Fruis. Deuteronom. cap. 31. num. 9. ibi. Scripsit itaque Moyses legem hæc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & curæ sunt senioribus Israel. Jeremias *cap. 36. num. 2. ibi. Tolle volumen libri, ut scribas in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi; & fere idem ibid. num. 28. Esther**

*cap. 2. num. 23. ibi. Mandatumque est historiis, & omnibus traditur coram Rege; Et cap. 7. num. 1. ibi. Tuisque sibi afferri historias, & annales priorum temporum, quæ cum illo presente ligerentur. Et cap. 9. num. 32. ubi præceptum fuit Judæis, ut multa à Mardocheo, & Esther constituta observarent, & omnia, quæ in libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur. Et cap. 16. n. 7. ibi. Quæ res & ex veteribus probatur historiis. Estre *lib. 1. cap. 4. num. 15. ibi. Minimus & nunciavimus Regi, ut recenseat in libris historiârum patrum tuorum, & inventis scriptum in commentariis, & sciet, quoniam urbs illa urbs rebellis est, & nocens regibus, & provinciis, & bello concitavit in ea ex diebus antiquis &c.* Sic etiam Regum Judæorum gesta solebant in chronicis describi, aliæque res memorabiles, ut ad posterorum eruditionem, & utilitatem deservirent, ut patet l. 3. Reg. c. 14. & 19. lib. 4. Reg. c. 8. e. 10. c. 21. c. 33. & Paralipom. *lib. 2. c. 2. & c. 35. & sæpe alibi. Unde l. 2. Machab. c. 2. num. 25. & 26. habetur: Considerantes enim multitudine librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrations historiârum propriam multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, studiosis vero ut facilius possint memoria commendare, omnibus autem legitimum utilitas conferatur. Ex Jure canonico habetur in cap. De quibus 3. dist. 20. cap. Quamvis 3. dist. 21. e. Valentianus 3. ibi: Ut referi historia ecclesiastica; dist. 63. &c. Adrianus 22. eadem dist. 63. de prompta ex historia ecclesiastica, cap. Cum venisset 1. in fine, de Sacra Unctione, ubi Tum propter historiam, cap. Foras 10. de verborum significat. ibi: De qua Virgili. cap. Cum Apostolica Sedes 7. de his que sunt à Prælati, cap. Cum causam 15. De probat. ubi probatio divisionis admittitur per libros antiquos; cap. Ad audientiam 13. de præc. ubi fides adhibetur antiquis libris censualibus. Ex Jure civili in l. Breviter 1. ff. de Officio præfati Prætoris, ubi: A quibusdam Scriptores traditum est; l. Necessarium 2. ff. de origine juris; l. Originis 1. de Officio Quæstoris, l. Censur 10. ff. de probationibus, l. Antiqui 3. ff. Si pars hereditatis petatur, l. Si pater 36. ff. de solutionibus. l. Corpora 1. ff. de cadaveribus punitor. cum similibus. Et Rota recent. *part. 8. decis. 76. num. 11. & seq. part. 10. decis. 229. num. 5. part. 14. decis. 424. num. 5. part. 18. tom. 1. decis. 34. num. 18. dec. 193. n. 3. & dec. 379. num. 19. ac sæpius in aliis.***

An autem historicis sit etiam præstantia fides, & ad vim probationis, vel adminiculi admittendi sint in causis beatificationis, & Canonizationis? Omnino videndus est undequaque olim Eminentissimus Card. de Lambertinis, postea Juremerito Summus Pontifex sub nomine Benedic. XIV. qui tom. 3. c. 8. sui *vere Aurei Operis de beatificatione Servorum Dei, & canonizatione Sanctorum*, egregie suo more totam rem tractat; & quoad hoc Historicos in quatuor gradus distinguit, & quoad omnes clarissime, ac solidissime ostendit quinam ex ipsis ad vim probationis, vel adminiculi admittendi sint in supradictis causis.

Primus igitur gradus, inquit, est historicorum, qui literis tradiderunt ea quibus interfuerunt, vel quæ geri viderunt; & si probi fuerint, ac prudentes, & ideo fide digni, primum fidei, & auctoritatis, ac probationis pondus constituent: sic ipse in *cit. cap. 8. num. 8. & 9.*

Secundus gradus est eorum, qui non viderunt ea, quæ 18 narrant, sed acceperunt ab iis qui viderunt; & hi quoque si probi sint, & prudentes, adeoque fide digni, primum fidei, & auctoritatis, ac probationis gradum constituent. Idem *ibidem* num. 8. & 9. sed major est auctoritas primorum, quam secundorum, *ibidem* num. 10.

Tertius gradus est eorum, qui referunt ea, quæ non 19 viderunt, nec audiverunt ab iis, qui viderunt, sed ab iis, quibus, qui viderant, naraverunt. Et hi fidem merentur, si sint viri probi, ac prudentes: sed minor est eorum auctoritas, quam aliorum prædictorum. Idem *ib. n. 10.*

Quartus gradus est eorum, qui scripserunt ea, quæ 20 legerunt in aliis historicis; Et horum auctoritas erit solum tanta, quanta erit illorum, à quibus sua scripta desumpserunt. Idem *ibidem* num. 19.

Hinc recte concludit, quod in causis precedentibus 21 per viam cultus excepti, ubi passim probationes subsi-

diarie admittuntur, virtutes, & martyrium plene comprobantur ex historicis, sed primi tantum, vel secundi gradus. Idem in cit. cap. 8. d. num. 13. usque in finem.

22 In causis vero procedentibus per viam non cultus, cum probatio constituenda sit in testibus de visu contestatur, virtutes, & martyrium non bene probantur ex dictis historicis primi, & secundi gradus; & tanto minus ex historicis tertii, & quarti gradus. In istis enim causis non habent vim nisi adminiculi, majoris tamen, vel minoris juxta regulam auctoritatis, & fidei ipsis prestande secundum suum gradum superius assignatum. Idem ibid. num. 12.

\* Qui tamen postea, ut diximus, ad Summum Pontificatum assumptus per decretum generale die 23. Aprilis 1741. editum mandavit, ut imposterum in causis Beatorum procedentibus per viam cultus immemorabilis admitteretur probatio subsidiaria virtutum, aut martyrii ex testibus de auditu, aliisque adminiculis: cujusmodi probatio admitteretur etiam in causis Servorum Dei procedentibus per viam non cultus, semoto tamen dolo, & culpabili dilatione. Et preterea decrevit, ut in causis Beatorum per viam cultus immemorabilis procedentibus, probatis virtutibus, aut martyrio per testes de auditu adminiculandos, non duo imposterum, sed quatuor pro canonizatione miracula per testes de visu probari debeant: idemque servandum pro beatificatione Servorum Dei in causis procedentibus per viam non cultus; probatis virtutibus, aut martyrio per testes de auditu, ut supra, adminiculatos.

23 Historia de virtutibus, & martyrio non sunt contentende, etiamsi in eis aliqua conciones ad encomium Sanctorum inserte sint, quas certum est non fuisse habitas seu factas à dictis Sanctis; Nec etiam contentendae sunt, etiamsi unus, vel alter error in eis inveniat, dummodo tamen eorum auctores probi sint, prudentes, ac fide digni. Idem ib. c. 9. n. 3. & 4. ex Baronio, Bolland, Mabillonio, & aliis ibi allegatis.

24 Historici probant, nec unus dicitur alteri contrarius, licet sint ejusdem ætatis, & unus ex his referat id, quos non referat ab alio. Idem ib. cap. 9. num. 5. concludens cum verbis Castellini de Inquisit. miracul. in causis Martyrum p. 64. ubi ait, Regulariter, & ordinarie esse utitatum, apud Scriptores, etiam Ecclesiasticos, ut unus vel alter non exprimat omnia, & singula gesta alicujus Viri Dei; Sed quod unus mittit, alter vero refert; Quod observant etiam Evangelista scribentes gesta Salvatoris nostri; Nam quod unus omittit, alter explicat.

25 Historico posterioris ævi, qui aliquid referat, de quo tacerunt omnes alii antiquiores, & classici historici, nulla est prestanda fides, nec concedenda auctoritas. Communis cum eruditissimo Baronio ad annum 237. ubi sic expresse habet. Non audiendi penitus Recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Pontificem, cujus nulla proventus extat mentio in serie Romanorum Pontificum, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, vel Cretenium, aliorque Indices Vaticanos, nec apud Gregor. ut Eusebium, Nicephorum, vel alios: adeo ut ne digna quidem sit, quae pluribus confutetur, sententia, quippe que nulla penitus nitatur ratione vel testimonio Antiquorum; ac Sapientissimo Ludovico Antonio Muratoro Anecdori. tom. 2. cap. 21. sic præcise dicente: Et quo pacto, amabo, commenta fabuleque explodi, atque exhibitari possent, quæ in posteriorum temporum historia irrepserunt, nisi Antiquorum silentium plura quam imperita aulæque Recentiorum loquacitas ponderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum, gestaque à temporibus suis remotissima somniant: illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci sinemus?

26 Et si fortiori nulla est prestanda fides Historico asserenti aliquid, de quo inter alios Historicos est communiter receptum contrarium, ut exemplificari potest in Benvenuto de Imola nel Comment. in Dante impress. Pitauri à Christophoro Berardo fol. 1167. ubi asserit, quod perdidit Mahometes fuerit habitus ut Cardinalis Romæ, ac missus in Africam ad prædicandam fidem Catholicam, ad

quam sua singulari gratia, & eloquentia fere totam illam gentem reducerat: ob quod Cardinales ei promiserant, quod decedente Summo Pontifice ipsum eligerent; at secuta dicta morte, alio ab ipsis electo Summo Pontifice, indignatus ille cepit omni conatu contrarium prædicare, ac totam illam nationem seduxit, atque ad falsam sectam Saracenorum reduxit: Quod totum falsissimum est, & mere chimericum ab omnibus communiter historicis impugnatum, ut videre est apud Ursayam Inst. crim. lib. 4. tit. 8. num. 120. & seq. ubi totum id refert. Sic nullum est credenda fabulosa historia de Joanna Papissa, quicumque fuerit prius ejus Inventor, sive Martinus Polonus, sive Marianus Scotus, sive Sigebertus, ut aliqui volunt, sive alii, ut alii prætendunt, sive probabilis Hæreticorum fraus & malitia, qui in derisum Sanctæ Pontificiæ Sedis dictorum Historicorum scriptis fabellam hanc inseruerunt; ut eruditissime suo more advertit Summus Pontifex Benedictus XIV. in cit. l. 3. c. 10. num. 4. Item totaliter deridenda, & explodenda est fabula de malignissime excogitata, & falsissime asserta infelici prætensa morte Subtilis. Viri mei Joannis Duns Scoti, quomodo Bovius, secutus Paulum Jovium refert infelici vite exitu fuisse extinctum, eumque comitali morbo laborantem, & nimis festinato funere elatum, cum redeunte vita, sero morbi imperum natura discerneret, frustra miserabili magitu opem petiisse, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite, miserabiliter periisse. Et sic de pluribus aliis Historicis consimiles evidentes falsitates, ac fabulas referentibus, que evidentur falsæ, ac chimericæ communi veridicorum Historicorum sensu habentur, ut nec confutationem mereantur, juxta auream sententiam S. Athanasii relati ex Patre Sebastiano à S. Paulo Carmelita ab Ursaya l. c. num. 123. ibi: Nimis falsa non sunt referenda, ne habita fuisse credibilia videantur.

Historicus rationaliter attemptari prosum debet in animi affectionibus amoris, & odii, aliter enim vel veritatem excedere, vel à veritate deflectere facile erit, si quidem ut præclare dicitur per vulgare effatum: amor, & odium nomen imponunt.

Historicus ne vel leviter etiam semel mentiri debet, nam qui mendacium ponit, fidem in veritate sibi tollit, dum semel malus semper præsumitur esse malus: textus expresso in cap. Semel malus 8. de Regulis Juri in 6. in eodem genere mali, ut explicat Glossa ibid. & nisi de emendatione appareat; cap. Ferrum 18. dist. 50. & Tullius pro C. Rabirio Posthumo nos admonet: Ubi semel quis peccaverit, et credi postea, etiam per plures Deos juret, non oportet.

Historico abs re facta, & auctoritates mutilanti, vel documenta sibi adversa retinenti nulla merito est fides, sic namque sufficiens ingeritur suspicandæ motivum voluisse fallere, & ex tacitis asserta non subsistere, ac ipsimet sua proinde fore dubia, indicantur, consequenter &c.

Historico coevo magis standum est, quam non coævis, testis enim coævus rem gestam propriis oculis conspiceret potuit, minime vero testes non coævi, atque ideo ille præferendus est: hinc communi Criticorum calculo facta antiqua per testes coævus, vel proxime coævus non probata pro fabulosis, vel admodum dubiis habentur, ut Cicero lib. 1. qq. Tuscul. cap. 12. ait: Auctoribus uti optimis possumus, quod in omnibus causis, & debet, & solet valere plurimum, & primum quidem omni antiquitate, quæ quo prius ab ortu & divina progenie, hoc melius, & fortasse quæ erant vera, cernebat.

Historicus critica maxime decet, si christiane fiat, id est spreto & mordacitate ablegatis, si pompa, & ingenii ostentatione semotis, æquitatis solius, ac veritatis amore fiat, etenim sic vera nullatenus apparebit in conspectu Domini, & absque alterius læsione culpabili falsa à veris late secerentur, nec non scribendi cum veritatis, vel proximi oppressione, & absque proportionato rei examine facilitas obtrahitur, vel saltem jure confunditur: est enim critica, ut optime tradit P. Honoratus à S. Maria t. 1. animado. in regulas Criticæ dis. 1. art. 1. ars judicii ferendi de factis historiæ constituitur, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectioibus obviis; de sensu, stylo, & Auctoribus: Hinc termini Criticæ, & criticæ

care à græco ducti, ut vides, idem sonant, ac Judex, & Judicæ; unde apud Medicos dies critici appellatur illi, in quibus judicium faciunt de morbis maxime acutis, ut sunt dies 7. 14. 21.

32 Non videtur in Historico laudabilem quædam præsentem ecclesiasticæ historie credita in dubium vertere, aut negare per principia levia, vel non nisi probabilia; quippe ad minus inutile proditur, quæ pie creduntur vel devotionem fovet, ac sufficienti sunt suffutis fundamento, quod in dubium per levia cientur, aut per solum probabilia negentur; secus autem si principia adducerentur certa, prorsusque ineluctabilia, sic namque falsitas degegitur, quæ veritati pleno jure cedere debet; & ex alia parte ad devotionis ac pietatis fomentum simul & incrementum vera non desunt media, nec per falsa enarrari egeret Dei miracula; hinc insipienter quis miracula effingeret ad divines fidei mysteria suadenda, cum vera adsint innumera.

33 Licet sola facti possibilitas ad factum astruendum hand valeat, sufficit tamen gravis auctoritas vel accurata experientia. Ratio 1. partis est, quia esto ab actu ad potentiam teneat consequentia, non tamen è contra à potentia ad actum, prout attendenti per se notum est. Ratio 2. p. est, quia quod gravi constat auctoritate, nititur testimonio vel Dei, vel hominum omni prosum fide dignorum. Ratio 3. p. est, quia nemo inficias ibit quod experientia constat, ex his colligi, que sensibus patent, eorumque recto usu firmiter deprehenduntur, quæque oculatum testimonium referant, experientia enim nil aliud est, quam cognitio per sensibilem usum reperta, vel ex frequenti effectu observatione invecata, indeque jure omnis experientia habetur pro rerum magistra.

34 In factis historie credendis apprime circumstantias attendere opus est omnes tum rei, seu internas, quæ videlicet ad ipsam rem spectant, tum Scripturam; seu externas, quæ nimirum testimonia concernunt ea, quibus nitimur, atque ad credendum ducimur; quoties enim circumstantiæ tales comperiantur, ut rarissime inveniantur cum falsitate conjunctæ, rationaliter enarratis præstatur fides, & assensus: si autem è contra sint, nempe tales, ut sæpius falsitatem inducant, merito eis vel non præstatur assensus, vel falsitas tribuitur: in primo namque casu veritatis apparet certitudo moralis, sufficiens in his, quæ nobis physice constare non possunt, secus autem in secundo, sicut est clarum. Generatim igitur antequam de facto historico judicium feratur ætate considerandum est, quod optime ait Fortun. à Britia p. 21. Logices arti, & scilicet, non ex circumstantiis aliqua moraliter, saltem ratione loci, personæ, vel temporis, sit impossibilis, num una ita cum altera pugnet, ut ambæ simul in ipso facto componi nequaquam possint; si namque aliqua sit impossibilis, vel illarum una adverteatur alteri, jam factum vel nullam, vel non nisi dubiam mereatur fidem, utpote quod hoc ipso, vel plane falsum, vel apprime dubium. Si autem in circumstantiis nulla falsitas, nullaque oppositio occurrat, factum censendum quidem possibile, aut minime illico credendum illud revera contigisse, nisi ea quoque adsit Auctoris, vel testis conditio, ut plane dignus ille sit, cui fides adhibeatur; atque ex his liquido depromitur, unde ferendi sumus ad unum potius, quam aliud credendum ex his, quæ nobis gesta proponuntur, vel facta negantur.

35 Opera genuina, & authentica à falsis ac supposititis per quaque possimum capita discerni possunt. Primum est constans, ac perpetua traditio, idque luculentissime evincitur ex Div. August. lib. 33. contra Faustum cap. 6. ubi efficacissime, ac subtilissime, prout suum, ex prælaudato capite contra Manicheos demonstrat, Apostolicas Scripturas, Sacrosque Scriptores pro genuinis, authenticisque habendos esse: atque ex eod. capite genuinos Hippocratis libros à falsis sub ejusdem nomine prolatis esse secretos docet; immo Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi Auctorum libros ait, quod ipsorum sunt, nisi eadem temporum sibi met succedentium contestatione continas, atque idem affirmat de Scripioribus Ecclesiasticis, & inde subnectit; Sed quæ pergam in longè præterita? ecce istas literas, Ferrax. Bibliotæcæ. Tom. II.

quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vice hujus nostræ, vel illas cujusquam Faustis esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista moverunt, notitiam suam ad longè veriam post futuros continuatis posterorum successibus trajiciunt? Que cum ita sint, quis tandem tanto furore caccatur, nisi demoniorum mendaciosoque maledicta, atque fallacia, consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posterum trajicerent, cum eorum cathedras usque ad presentes Episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualicumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat?

Alia quatuor doctissime recenset Cl. Mabillonius P. 2. de studiis monasticis cap. 13. videlicet. Si aliqua manuscripta existimatione digna, eaque imprimis, quæ magis auctori coæva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant. Si styli fuerit ubique conformis alteri ceterorum auctoris operum, sicut, & principia, ac opiniones. Si Scriptores, sive Synchironi, sive pene Synchironi ejusdem opus eidem auctori certo adscribant. Si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet: Et ex his juxta contrarium legem, ac disciplinam ratiocinare ad falsa, & suppositiva erudenda opera: hujusmodi namque momenta, uti perspicuum est, ad utrumque multa efficacitate donantur.

De fide in judicio habenda Historicis, vide regulas à Rota traditas in Augustana Juris procedenti 28. Febr. 1746. §. 1. Julii ejusdem anni 1756. coram Reverendissimo P. D. Burzio Decan. & in Nullius, seu Tarraconen. Præcedentiæ. 13. Maji 1746. coram clar. mem. Melin. §. 20. Februarii 1747. §. 19. Junii ejusdem anni 1747. cor. R. P. D. Elephentani. §. 29. Januarii 1748. §. 13. Maji ejusdem anni 1748. coram bon. mem. Vair. &c.

HOMICIDA, HOMICIDIUM.

SUMMARIUM

- 1 Homicidium unde, & quid sit, quibus modis perpetraretur, & cur ita appellatur: divitio ejus proponitur, qualiaque sint, quando liceat idem committere ad num. 37.
- 38 Innocentem auctoritate divina licet directe occidere quomodo se gerere Judex possit, si scit innocentem esse qui ex adis nocentem apparuit: inter incarceratos, auctores ad supplicium, & damnatos ad defensionem, que distinctio, ad num. 44.
- 45 Propria auctoritate an liceat Patri, & marito filiam, & uxorem in adulterio deprehensam occidere: defensio hæc an liceat, ad num. 46.
- 47 Matrone honeste seu virgini in aggressorem, stupratorem, & nec licet occidere principem suum tyrannum: numquam se ipsum, secluso Dei mandato: quid in militia tempore obsidionis, si muros consecratis, ad num. 52.
- 53 Animarum curam exercentes tempore pestis quomodo se gerere debent pro Sacramentorum administratione: usor cum marito peste infecto: si ex incendio effugerit quis voluerit: dum turris hostiis evadenda: vita principis servanda, ad num. 59.
- 60 Quomodo vita non sit abbrevianda, potest caro macerari, & affligi: à matrimonio abstinere: se ipsos occidentes privandi sepultura, ad num. 62.
- 63 Clericus homicida quomodo puniendus: remissio in homicidis quid operetur: si homicida sit falsus Clericus à quo Judice debet puniri: de eo qui reassumpserit habitum, etiam loquitur, ad num. 70.
- 71 Irregularitas in homicidio an contrahatur: quando gaudeat immunitate: membri mutilatio non venit homicidii appellatione: que requirantur ut licite satellites malefactorem occidant: alia quædam homicidæ, irregularitatem, & restitutionem, cum variis decretis, ad num. 94.